



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

32. Quid sit de illorum, qui ministrant hoc sacrame[n]tum vsuali & communi pani inuolutum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

QVÆSTIO XXXII.

Quid sit de illorum, qui ministrant hoc sacramentum vsuali & communi pani inuolutum?

Quæstionis explicatio.

NVnciatum est mihi, hunc morem in quibusdam locis Galliaë vigere, mitti scilicet ad ægros peste Eucharistiam, pani vsuali inuolutam, quam cum eo vel sine eo sumant: neque enim satis perspectam habeo rationem agendi illorum. Quocirca quæritur, quid de hoc modo ministrandi censendum sit?

Responsio.

ESt illicitus, sicut & prior propter eandem causam: Accedit, quod qui commiscet panem consecratum pani non consecrato, non videtur sufficienter diiudicare nec distinguere hunc panem sacrū, sed potius tanquam profanum tractare, quod non videtur hoc tempore fieri posse absque magno scandalo, & tanti mysterii irreuerentia.

Dices. Christus Dominus dedit Iudæ hoc sacramētum sub forma panis intincti:
legi-

Ioan. 13.

legimus enim apud Ioannem, quod cum Iesus turbatus spiritu dixisset, *Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me: & Ioannes rogasset, Domine quis est? Respondit Iesus, ille cui panem intinctum porrexero.* Et Ecclesia ipso die Parasceues neque consecrat vinum, neque pridie consecratum & reseruatum sumit, sed solum hostiam consecratam cum ablutione, hoc est, cum aqua, qua os abluitur: Ergo eodem modo licebit sumere panem consecratum cum alio non consecrato, vt illi in Gallia dicuntur facere.

a In Concor. Euangelica, t. 133. §. Respondit Iesus

b In Epis. ad Decent. Eugubini. Episc. cap. 4. c lib. 2. de instit. Cler. c. 3. d tom. 2. de sac. c. 88. c. 89.

Ad primum respondeo cum eruditissimo (a) Iansenio, intinctum istum panem non fuisse Eucharistiam, quia illam omnes Apostoli iam sumpserant ante sermonem de proditore, iuxta sententiam Diui Augustini, cuius tamen locum ille non citat. Ad alterum dicimus, esse propriam illius dici caeremoniam, de cuius initio non constat, quam Ecclesia iustissimis quibusdam de causis vsurpauit, vt videre licet apud probatos Auctores (b) Innocentium Primum (c) Rabanum, (d) Waldensem & Iuniores & propterea non posse in exemplum trahi, cum eadem causæ in hoc casu non militent.

Dices 2. Quotidie in ablutione calicis vinum non consecratum miscetur consecrato,

erato, quod in interiore calicis superficie post Dominici sanguinis sumptionem relinquitur, & si reperiantur quædam reliquæ Dominici corporis, recte illæ cum vino ablutionis sumuntur: videtur ergo tolerari posse modus ille ministrandi, quo consecratum inuoluunt non consecrato.

R. Aliud esse assumere voluntarie aliquid loco cæremonia, aliud permittere aliquid, quod vitari non potest: hoc enim posterius omni culpa caret, illud fieri non potest sine graui causa, eaque per Superiorem cognita.

Q V Æ S T I O XXXIII.

*Quid sit de illorum, qui oblongiori forcipe
vel aurea vel argentea, vel simili,
Eucharistiam tenent, & sic
ægro porrigunt?*

Quæstionis explicatio.

ET si exiguum admodum præsidium contra contagionis periculû sit, si quis ab ægro distet ad vnam vnam vel duas, cuius longitudinis ad summum forcipes solent esse, nihilominus dicuntur reperiri, qui ad huiusmodi remedia contra contagionem